

idea aliquid deficit, relabitur in aliam, cui conformatur in sua linea et gradu. Quod si peccatum deficit a tota causalitate divina, et ita in eo maxime videtur dari falsitas, tamen hoc non pertinet ad transcendentem veritatem, sed ad moralem, quæ est malitia; entitas autem causalitati Dei conformatur: ergo in ipsa entitate falsitas transcendentis nunquam datur per ordinem ad Deum: ergo neque veritas.

XXXVIII. Respondetur aliud esse quomodo non cognoscamus veritatem, et nobis notificetur, aliud quomodo in se constituatur, et commensuretur suis principiis: nos enim non cognoscimus res, nisi sumendo cognitionem ex accidentibus, quia a sensibus dependemus, qui solum accidentia percipiunt; et sic adæquationem veritatis in rebus discernimus penes accidentia, et proprietates, quæ sunt aliquid posterius, et consecutum ad essentiam, atque adeo ad veritatem ipsam essentia quæ entitative est idem cum ipsa. Quare ad discernendum verum aurum a falso per nostram cognitionem quæ procedit imperfecto modo, et ex accidentibus hauriendo cognitionem substantiæ, non recurrimus ad ideas divinas, quas non videmus neque ad prædicata quidditativa, quæ immediate nobis non repræsentantur in se, sed recurrimus ad accidentia, et proprietates veri auri, quas experimur, ut colorem, soliditatem, pondus, etc. et id reputamus pro vero auro, quod talibus accidentibus adæquatur. Cæterum licet nos non possimus ad discernendam veritatem rerum uti illi prima mensura a qua derivantur, sed istis accidentibus per quæ cognoscimus, tamen ob hoc negandum non est ab ipsis ideis, ut a prima mensura desumi veritatem, cum accidentia, ut diximus, supponant veritatem, quæ supponunt essentiam a

qua consequuntur, atque adeo veritatem ejus, quia a vera essentia consequuntur. Alia ergo prior mensura est per habitudinem ad quam mensuratio veritatis desumatur, tamquam ab originali, quia omnis creatura est quoddam ideatum, et vestigium Dei, et consequenter per suum originale debet legitimari, et verificari, seu discerni a spurio, et ficto, non per solam suam definitionem nec per solam negationem falsitatis, seu fictionis: nam definitio ipsa cum non sit aliud quam declaratio definiti, et idem prorsus quod ipsum definitum, restat videre unde verificetur, et an legitima definitio sit: eadem enim est veritas definitionis, et definiti, ergo non potest veritas desumi ex definitione ut ex prima regula, a qua veritatem, et legitimationem habeat: hoc enim esset desumi ex seipsa: si enim dicimus quod ille est verus homo, qui est animal rationale, omnino hoc ita est, sed est perinde ac dicere quod ille est verus homo, qui est homo, quia homo, et animal rationale idem sunt. Similiter negatio fictionis, seu falsitatis non potest constituere veritatem, sed supponere: quod enim est verum, non est falsum, sed negatio ista non potest primo, et per se constituere verum, sed fundari in illo, quia positivum non constituitur negativo, sicut quod non est tenebrosum est lucidum, sed non constituitur lucidum per negationem tenebrosi: esse autem verum ens, et vere tale, aliquid positivum est, verum enim aurum positivum est tale, quia perfectio entis est, quod vere et legitime sit tale: imo de ipsa negatione fictionis, seu falsitatis eadem ratio est, unde desumatur, et unde conveniat isti enti negatio ficti et falsi: omnis enim negatio in aliquo positivo fundatur, et ad illud consequitur: id ergo quod est ratio ut consequatur nega-

tio ficti, erit ratio ut constituatur positio veri, recurrendum ergo est ad principalia originalia rerum, quæ formant unumquodque, et dant illi legitimam, et propriam rationem, quæ sibi debetur, et istæ sunt ideæ divinæ respectu naturalis entitatis, et quidditatis, non quatenus præcise producunt rem in sua existentia, sed quatenus determinant unicuique rei propriam formam, et distinguunt illam ab alia, quæ talis non est, et sic reddunt illam legitimam, et veram seu distinctam ab eo quod fictum est, et non solum reddunt existentem.

XXXIX. Ad confirmationem dicitur quod, ut docet S. Thomas hic quæst. xvii, art. i, nulla res dicitur falsa per ordinem ad intellectum divinum, et ideam, nisi in actibus voluntariis peccaminosis, quæ totaliter deviant a Deo, ut a regula moralitatis, et fine. Unde in ratione malitiæ non habet ideam in Deo, et sic non dicitur falsum per inadæquationem ad aliquam ideam sibi debitam, quia prout sic nulla ei debetur. In ratione autem entitatis materialis peccati, eo modo habet ideam quo entitatem, et per ordinem ad illam veritatem, non falsitatem, respectu vero alterius ideæ, quæ sibi propria non est, et a qua non derivatur, nec ista entitas, nec aliqua alia habet inadæquationem, aut falsitatem, sed disparate se habet ad illam, quia ad se non pertinet, sicut argentum non dicitur falso adæquari ideæ auri, vel homo ideæ equi, quia ad se non pertinent istæ ideæ. Quare in entitatibus creatis nulla datur falsitas transcendentis, sed unumquodque ens sive perfectum, sive imperfectum habet suam ideam cui in suo genere, et linea adæquatur, et respectu cuius falsitatem non habet, sed veritatem, quia adæquatur ei. Et licet habeat apparentem similitudinem cum alia re, sicut

aurichaleum cum auro, tamen hoc ipsum vere habet ab idea aurichalei, quæ sibi dat veram similitudinem auri, non tamen habet falsitatem cum idea auri, quia ad se non pertinet, sed disparate se habet, non falso, et inadæquate. Solum ergo induunt respectum falsitatis res per ordinem ad nostrum intellectum quatenus est deceptibilis, et fallibilis a rebus a quibus movetur, non respectu divini intellectus, a quo non habent res deficientiam et falsitatem, sed id quod unicuique debetur. Quod si aliquando res deficient ab eo quod sibi debetur, ut homo gibbosus, aut cæcus, aqua calida, lapis sursum, etc. cum per hoc non amittant essentiam sed in accidentibus variantur, non dicuntur falsæ per ordinem ad ideam suæ substantiæ, et quidditatis, quia in hoc adæquantur ei, sed dicuntur diminutæ, et imperfectæ, quia non perfecte illam participant, id est, quantum ad accidentia sibi debita, adæquantur autem alteri ideæ aliorum accidentium, quæ sibi adveniunt, quæ accidentia suam propriam ideam habent, licet respectu talis rei non sint perfecta, et debita. Si autem res essentiam mutat, corrumpitur, et recidit in aliam ideam, cui vere comparatur, respectu vero alterius præcedentis jam non manet falsa, et inadæquata, sed disparata, sicut respectu alterius cuiuscunque.

XL. Ultimo, arguitur ad probandum quod veritas in rebus est extrinseca denominatio a veritate intellectus: Nam in primis S. Thomas comparat veritatem quæ est in rebus et intellectu, sanitati, quæ est in animali, et in cibo, et dicit quod veritas est primario in intellectu, et secundario in rebus, sicut sanitas est primario in animali, et denominative in medicina, ut patet in hac prima parte q. xvi, art. i, et quæst

I, de ver. art. II, ergo sicut sanitas dicitur esse in medicina solum quia causat sanitatem in animali, non vero quia intrinsece sana sit, ita dicitur veritas esse in rebus solum, quia causant veritatem in nostro intellectu, non quia in eis veritas intrinsece sit, sed solum intrinsece erit entitas, a qua ut ab objecto, causatur veritas, quæ est in intellectu, sicut in medicina est virtus causativa sanitatis, non sanitas ipsa, quæ est temperatura humorum.

XLI. Confirmatur, quia bonitas dicitur in rebus per ordinem ad voluntatem quam ad se inclinatur, non per ordinem ad Deum a quo participatur bonitas: ergo similiter se habebit verum respectu nostri intellectus quem movet, licet a divino participetur.

XLII. Confirmatur secundo, quia ut præcedenti solutione diximus, falsitas simplex, et transcendentalis non invenitur in rebus, sed solum denominatio extrinseca per ordinem ad enuntiativam propositionem iudicii, in quo potest esse falsitas: ergo similiter se habebit veritas simplex in rebus: contrariorum enim eadem est ratio.

XLIII. Respondetur quod, ut jam sæpe diximus, quando D. Thomas comparat veritatem sanitati, quæ formaliter est in animali, denominative in medicina, loquitur de veritate formali, quæ consistit in manifestatione, et expressione veritatis: talis enim manifestatio solum formaliter est in intellectu, causaliter vero in rebus, seu objectis, in quibus non potest formaliter dari manifestatio veri, sed denominantur a formali veritate res veræ, ut causa, vel signum talis manifestationis, seu veritatis formalis; atque ita in linea et ordine veritatis formalis, seu veritatis manifestatæ, quidquid extra intellectum est, denominatur in ordine ad formalem veritatem extrin-

seca denominatione, quia nihil manifestationis potest esse extra intellectum intrinsece, et proprie, sed denominative est intrinsece, sicut sumpta sanitate pro temperatura humorum, non potest extra animal inveniri nisi extrinsece, et per denominationem, non intrinsece, et proprie: sanitas autem virtualis, seu sanativa, id est, virtus ad sanandum est intrinsece in medicina, et si illa vocaretur sanitas, diceremus sanitatem formalem esse intrinsece in animali, et extrinsece in medicina, sanitatem vero sanativam esse intrinsece in medicina. Sic ergo veritas transcendentalis, quæ non est formalis veritas, id est, non est ipsa forma, et manifestatio veritatis, sed est veritas mensurata, seu verificata a mensura divina, est intrinsece, et proprie in rebus, licet derivata ab intellectu divino, sicut etiam ipsa entitas, et quidditas creata est intrinseca rei, licet sic participata a Deo. Nec solum dicitur res vera per ordinem ad conceptum nostrum, quia etiamsi nullus daretur intellectus humanus, vel creatus, res dicerentur veræ, et aurum esset verum, quod haberet essentiam auri participatam ab idea divina, ut docet D. Thomas q. I de verit. ar. II, in fine corporis. Non ergo, ut dicit Vasquez ex sola denominatione ad intellectum nostrum veritas Dei dicitur in rebus, sed etiam isto ordine remoto, et manente ordine ad intellectum, et ideas divinas, qui ordo intrinsecus, et realis est in rebus, manet veritas transcendentalis. Itaque manifestatio veritatis formaliter est in intellectu, denominative in rebus, transcendentalis autem veritas, quæ est ipsa legitimatio talis essentiæ per ordinem ad suum principium originale realiter est in rebus.

XLIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod bonitas se-

quitur ad ens ut perfectum, non solum in ipso esse, et quidditate, et in ipsa perfectione ut informante, et constituente subjectum, sed ut finalizante, et movente appetitum, quia bonum est diffusivum sui, et id quod omnia appetunt: diffunditur autem bonitas seu perfectio non præcise constituendo subjectum, sed movendo appetitum: at veritas transcendentalis (de qua solum loquimur) non consistit solum in eo quod est movere intellectum, ut manifestetur, sicut bonum ut appetatur, sed præcipue consistit in legitimatione ipsius rei, et discretionem ejus ab eo quod fictum aut falsum est: legitimatio autem, et segregatio ab eo quod est fictum debet fieri per aliquam mensuram, seu regulam qua id discernatur. Quare prius est in veritate transcendentali regulari, et discerni a ficto, quam regulari, et movere nostrum intellectum; regula autem et mensura rerum naturalium est idea divina, sicut artificialium idea artificis; et ideo in respectu commensurationis ad ipsam principaliter veritas consistit. Utraque ergo tam bonitas, quam veritas in creatis sunt participationes Dei, sed diversimode, nam bonitas est participatio Dei principaliter, et formaliter in eo quod est esse diffusivum sui ad appetitum, veritas autem transcendentalis in legitimatione rei in se, et segregatione ab eo quod fictum est, et hoc fit per commensurationem ad regulam a qua sibi datur id quod sibi debetur, et proprium ac legitimum sibi est, ut explicavimus.

XLV. Ad secundam confirmationem, jam sæpe diximus veritati transcendentali non contrariari falsitatem omni modo, et secundum omnem respectum, sed solum secundum respectum quem dicit ad nostrum intellectum: dicit enim veritas rei et respectum mensurati

ad ideas divinas, et rationem mensurantem, seu moventem ad intellectum creatum; et sub primo respectu non est capax falsitatis, quia est mensurata immutabili commensuratione ideæ divinæ, quæ falli, et inadæquari non potest. Sub secundo autem respectu potest dari falsitas, quia potest false mensurare habendo occasionem decipiendi, et fallendi intellectum per inadæquationem cum ipso, licet hæc falsitas in solo intellectu sit formaliter, in objecto autem occasionaliter, quia præbet ratione similitudinis cum vero occasione fallendi: non tamen ex hoc sequitur quod veritas principaliter consistat in habitudine ad nostrum intellectum, quem mensurat, sed ad illum per quem regulatur, et legitimitur, in quem non potest cadere falsitas. Contraria autem veritatis circa idem in eo in quo contrarietatem habent, et non aliter, non autem falsitas contrariatur veritati respectu idearum divinarum, quia ibi capacitas non est falsitatis, sed solum respectu nostri intellectus, in quo talis capacitas datur, ut dictum est. Videatur D. Thomas q. I de verit. art. X, in fine corporis.

## ARTICULUS II.

### *Quid sit veritas formalis?*

De veritate formali, quia plures emergunt dubitatiuncula ad explicandum quid sit, et quid addat supra ipsam cognitionem, breviter ea quæ sic difficultatem faciunt, per breves quæstiunculas enodabimus.

### PRIMA DIFFICULTAS.

AN VERITAS FORMALIS AD CONCEPTUM FORMALEM PERTINEAT, AN AD OBJECTIVUM?

I. Dicitur conceptus objectivus res ipsa concepta, et acta per co-